

B. C. D.
**TEMPLI LAU-
RENTIANI**

QVÆ SUNT RELIQVÆ,

Ipsiusque Cœmeterii adjuncti faciem

Historicè exhibet;

eoque ipso

ad audiendam D. XXVII Julii,

ipso scilicet felicissimo exoptatissimoque

**SERENISSIMI PATRIÆ PATRIS
NATALI QVADRAGESIMO QVINTO,**

Solemnem SERENITATI EJUS Panegyrim,

Curianæ Urbis Proceres,

devota PRINCIPI O. M. pectora,

ea, qua par est, observantia

Illustre Curianum

invitat,

Ore manuque,

M. JO. CHRISTOPH. LAYRIZ.

Gymnasii Patrii Rectoris.

Literis Minzelianis.

Nriennium nunc, per benignissimam Divini Numi-
 nis gratiam, feliciter est elapsum, ex quo, sumtis à
SERENISSIMI PRINCIPIS PATRIÆQUE PA-
TRIS nostri gloriosissimi exoptatissimo *NATALI*
 felicibus auspiciis, primam *HISTORIÆ CURIA-*
NÆ admovimus manum. Et quæ ipsi tunc omi-
 nati fuimus fata, lento scilicet pede ituram opellam, iis hæcenus
 nimium quantum, vel nobis etiam invitis, fuisse actam, lubentis-
 simè fatemur. Nempe quod sua de arte quærendo conquestus
 Romanæ lyrae fidicen *Vates Venusinus*, cum inquit:

- - - - - *amphora cæpit*
Institui, currente rotâ cur urceus exit?

id nobis invertendum, quos crescens sub manu dicendorum ma-
 teria, in plures nullibi non impellit quaterniones. Verùm quam-
 vis nobis suffeni adeò non sumus, qui nobili isto Catonis dicto:
Sat cito, si sat benè, aut alio quodam Demosthenis: *ὄν τὸ μέγα εὐεστὶ,*
τὸ δὲ εὐ μέγα, quod redderes: *Non magna res statim bona est, sed bona*
statim est magna, velamen inertiae fortè obtendamus nostræ, id ta-
 men veritate minus adversante dixerimus: neque tempori ne-
 que occasione nos defuisse, sed quæmodo-cunque proposito no-
 stro faventem se dederit, eam promptè captasse. Neque steri-
 lem nos planè suscepisse operam, frequentia tum Patronorum
 tum Amicorum testatum ivère vota, in quàm fieri possit proxi-
 mam Opusculi perfectionem haut obscure collineantia. Hinc,
 qui nunc in vota precesque sepulta cum animo gaudia propelle-
 re deberemus, quod eosdem felicissimos Optimi *PRINCIPIS*
Natales, salvo isthoc ponitus ac incolame Salutis integritatisque
 nostræ Promo condo, habeamus reduces, nostra quàm possumus
 brevissimis defungimur pietate; non selectis prolixè floribus &
 thure, quod Romanos veteres in usu habuisse legimus, Sacra Ge-
 nio facimus Principis, sed piis tantùm devotisque verbis, plus
 quàm

quàm quadrages aut sexages, quoties in Romano Senatu CLAUDIO id factum refert in Vita ejus Trebellius Pollio, ingeminando acclamamus: *AUGUSTE PRINCEPS, Deus Te nobis praestet, Vivas, valeas, multis annis Natales istos celebres!* Et duxerint iidem Gentilium Superstitioni immerfi, Romani, *Alex. ab Alex. l. II. c. 22.* referente, mali portenti scedique auspicii rem, cruorem diebus his effudisse, aut animal madasse, aut tristius quid suscepisse, quod hilaritatis & lætitiæ iis pleni extiterint dies, nobis Christianis nec vitio quis vertat, nec mali ominis rem capiat, quod lætantes felicissimo hoc die in Domino, tristibus etiam occupemur, & ferente sic ordine, nostrum Templum denuo invisamus, piè demortuorum tumulos lustremus, inter media etiam gaudia, inter gentilia Principis vota, cui vitam annosque Nestoreos apprecamur, mortis tamen nostræ non immemores, more vel gentilium Ægyptiorum, quos sceleta hominum in mortis memoriam, lætissimis conviviis intulisse, memorat *Plutarchus in VII. Sapientum Convivio.*

Scilicet in hanc ipsam D. Laurentii nobis sepulchralem Ædem nunc deducimur, utque, quam ejus nuper cepimus Historiam, absolvamus, interiora ejus paululum adhuc sollicitius excutimus. Altaria hic primò se offerunt, quorum duo introeuntium oculos feriunt, Tertium enim opere fictili constans artificiosissimamque Figuli & Civis quondam nostratis, Casparis FLACHII manu fabri factum, & Ecclesiæ Ornatus causa A. 1642. donatum, nos haut moretur, cum in angulum etiam coeuntium invicem ad sinistram Templi latus parietum, prope portam ejus minorem repositum, Altaris locum vix tueatur. Ad primaria igitur duo regredimur, quorum illud, quod dextram Chori occupat capellam, lectionumque precum & Sacræ Benedictionis usibus adhibetur, quamquam quantitatis virtute nimis haut excellat, picturæ tamen per tot annorum intercapedinem penitus non læsæ elegantia multum se commendat. Quo anno istud sit positum, numerorum indicio equidem non invenio. prostant tamen alia, quæ pau-

lò post medium Seculi XV. sub vigili nempe commendati supra Nobilissimi Plebani, *Hertindi de STEIN* curâ, ejusque auspiciis comparatum, obscure minus innuunt.

Tota ejus facies in tres areas distincta, quarum media tanquam primaria exhibet legitimâ staturâ imagines *HENRICI II.* Imperatoris, vulgò ob pietatem, continentiam & beneficentiam in monasteria Sacrosque Ordines, *SANCTI* cognominati, & ex adverso Conjugis ejus *KUNIGUNDÆ*, cui pariter Sanctitatis nomen, ob servatam ipso in matrimonio illâsam virginitatis pudicitiam, inditum. Utrique conversâ ad invicem facie sunt picti & binis manibus duo sceptrâ, Imperii Insignia, duabus alteris sublevatam tenent Domum Ecclesiæ Bambergensis majoris, den *Thum*/ quam ipse Henricus, constituto Babenbergensi A. 1006. Episcopatu, quinquennio post extructam 46 Episcopis ad hoc vocatis, ut *Marianus Scotus Chronical. III. Æt. 6.* loquitur, dedicavit, sub istâ Domo medius inter Henricum ejusque Conjugem, complicatis ante pulpitem orat manibus, genibus quoque innixus, ipse procul dubio Altaris fundator *Hertindus à STEIN*, habitu suo sacro, Plebanis tunc usitato, mitrâ rubeâ, palliolo murino ad thoracem usque demisso, inferiusque crenato; Indumentum interius stola est alba, sub quâ læna rutilat purpurea. Quod non alius cujusdam, quam ingenii hujus Templi nostri Patroni pictura referat faciem, insignia ejus gentilitia tum tergo ejus seorsim unâ cum ipsis lemniscis, tum alteri & conspicuæ pulpiti parti adpicta, & cum tribus, avitis dubio procul maternis, aut alia quoque ob prædia nobilia, seu rationes nos latentes, adhiberi solita, nos dubitare non sinunt; quæ ut tanti Viri merita grata rependat posteritas, distinctius paulo recensere & fecialium verbis enunciaro: Totius nempe scuti, pro figurâ ipsius pulpiti, quadrati area in quatuor per crucem minores areolas est subdivisa, (*L' ecartelé en croix*, quadrifidum scutum termino tecnico vocant Galli) primusque laterculus Gentilitia Insignia Illustris Familiæ de *STEIN*, hodiernum ipsi usitata, exhibet, tæniâ seu trabem nigram, à sinistra

stra versus dextram in campo argenteo ductam, (au 1. d' argent à la barre de noir) secundus Liliū sistit argenteum, in campo viridi; (au 2. de sinople à une fleur de lys d' argent) Tertius & ipse in palū dissectus, (party par une ligne perpendiculaire) priori parte argentea, tres coccineas ostendit fascias; In posteriori ejusdem coloris, tres rubeas rosas. (d' argent à 3. fasces de gueules, party d' argent à 3 roses de gueules.) Quarta denique & ultima parmula rubea, Urbis mœnia turrata exhibet argentea (de gueules aux murailles d' argent). Quæ autem Familix, aut Familiarum dominia, his ipsis innuantur armis, tum Genealogicis, tum domesticis inclutæ Familix, hodienu apud nos, & Baronali quidem dignitate meritorumque in patriam excellentiâ, (faxit Deus quàm diutissimè!) insigniter florentis, documentis destituti, hariolari minimè audemus, veremurque, ne tempus accuratorem notitiam penitus subtraxerit. Eadem priora duo scuta, sejuncta tamen, in infimâ altaris parte, quâ mensæ incumbit, denuò sunt repetita, & imaginibus SALVATORIS, MARIE & JOHANNIS distincta.

Dextra Altaris hujus Ala LAURENTIUM, Ecclesiæ hujus olim Patronum sistit, cujus dextra palmâ est obarmata, sinistra crate dotata, ut signum victoriæ præberet, quàm pientissimus hic Romanæ Ecclesiæ Diaconus, à Præfecto Urbi Romæ Tyranno, ardentibus carbonibus in crate tostus, sub Decio, aut, ut alii malunt, Valentiniano, Christianorum acerrimo Persecutore, constantiâ suâ deportavit, quæ Historia ex Prudentio in Coronis aliisve haurienda, notior est, quàm ut hic referri prolixè mereatur, cum primis, cum in Annæ quoque capella, ad ipsius Templi ingresum, à Dn. Consule SCHMIDTIO, quod nuper tetigimus, pictoris manu fuerit expressa.

Ergo ad Sinistram nunc Alam, quæ aliam conspiciendam præbet historiam, sed non ita ubivis obviam. Angelum autem refert, qui alterâ manu gladium stringit, sinistrâ stateram tenet. Impositus dextræ libræ lanci ipse Henricus nudus, facie tamen cum majoris imaginis penitus conveniente, ut Pictoris non im-

meritò mireris artem, cui junctum ab adstante Laurentio poculum calicis, quod tanti ponderis, ut lancem deprimat; adversa verò variis diabolorum, lemorum, larvarumque figuris, lapidibus itidem molaribus & similibus ponderibus est onusta, uno præ ceteris dæmone omnes periclitante vires suas, qui lanci pondus addat; frustra, nec obscure ictum ipsi minante Angelo. Quid hæc sibi velit pictura, conjectore Oedipo haud opus; quin enim auream istam & ceteris nobiliorem de Henrico S. legendam exprimat, nullum est dubium. Sequentibus autem eam legendam dedit Auctor, ut ob excerpta è diversis Chronicis vocatur, *Compilationis Chronologicae*, quem Pistorius Tomo I. *Rerum Germanicarum* intulit: *Sub hoc Papa, (JOANNEM indigitat ordine Pontificum, ut ipse numerat, CLV, aliàs ordine nominis, XX) Henricus Imperator Servus Dei feliciter obiit, splendens miraculis, & sepultus est cum Sponsa Sancta Kunegunda in Babinberg, Anno ætatis sue 52. Tempore hujus Imperatoris Henrici cum moreretur, merita animæ suæ in statera appensa sunt, & peccatis deprimantibus, jam penè pars dæmonum præponderaverat: tunc subito adestus quidam (Laurentium intelligit) superveniens calice aureo partis dextræ lancem oneravit; moxque eâ præponderante victores Angeli animam in consortium supernorum Civium deduxerunt. Hæc dixit unus Dæmon à quodam sancto compulsus. Nam ipse Imperator Calicem magnum aureum, pretiosis gemmis ornatum, obtulit Deo & S. Laurentio martyri in Merseburg, qui adhuc ibi est. Hactenus Compiler, cui Matthesius, qui eandem in der Wage Gottes repetit fabellam, ex nescio quo, addit: Calicem istum duas habuisse ansulas, cui, cum Sathanas irâ ob oreptam beneficio ejus prædâ percitus in Terram projecisset, alterutra ansula deciderit, quâ destitutum postea calicem Clericus Merseburgensis, in rei fidem, non sine multâ pompâ, publicè ostentavit.*

Hæc de interiori Altaris Pictura, cujus si veritas alas duplicatas, ut pleraque veterum, habet in medio Historiam Salutationis Angelicæ Mariæ factæ, à sinistro Episcopum quendam, & in dextra ala eandem Kunigundam Sanctam, depicta, cum vomeribus candentibus, quos XII, ut suspicionem stupri à se amove-

ret, quam **Heinricus**, diaboli dolo, qui in formam militis speciosi transfiguratus, tribus diebus continuis manè videbatur pluribus exire de thalamo S. Kunigundis, animo conceperat, nudo calcasse fertur vestigio, eodem *Compilatore*, *Cranzio* quoque l. 4. *Sax.* c. 32. & l. 4. *Metropol.* c. 5. Auctoribus, versibusque duobus sequentibus totum factum comprehendentibus:

*Judicio vomeris Cunigundis virgo probatur,
Cætus at hoc Procerum mirans ipsam veneratur.*

Ut adeò sic aperte liqueat: Ingeniosissimum *Hertindum de STEIN*, posito hoc altari eò respexisse, qui conditi Episcopatus *Bambergensis* memoriam, cujus Inspectioni nostra quoque olim Ecclesia erat commissa, & simul ipsius conditoris *Henrici* gloriam & historiam, in quam *B. Laurentio* afflicta præclara miracula aptè simul coincidunt, refricaret, suamque simul ipsius solertiam posteritati commendaret.

Sed justò fere fuimus prolixiores, eò ergò ad cetera pergemus ocyus; Nec illud, quod ad dextram propè facellum interius locatum altare, accuratos adeò meretur oculos, quippe quod ex medio papatu remansisse fabulosis ut plurimum colligimus imaginibus, quas excutere supervacaneum duximus, Illud tamen monemus, & inter medias *Papeæ* Superstitionis scoreas aurum nos puri Christianismi reperisse, & literis antiquissimis ad calcem ferè utriusque; lateralis tabulæ inscripta exsculpsisse vix legibilia verba: *Hilf Got hie und tort.* Jam, quæ præterea ad ornatum utriusque; quibus Chorus constat, capellæ faciunt, effigies sunt quatuor ultimorum de *Curiana* Ecclesiâ optime meritorum & adhuc merentis *Dnn. Superintendentum*, à pia Antiquitate ejusque; Successoribus è sumtibus publicis in memoriam publicè, versus altare majus, concamerato parieti appensæ, **Prima B. TEUBELII** est, quem utraque Lingva sequentibus coluit versibus:

TEUBELII formam pictor, mens enthea, scripta

Commendant Orbi Curia & hæcce Virum.

Hier ist TEUBELZUS/ der Hochberühmte Lehrer/

Der in dem reinen Wort geweidet sein Zuhörer/

Der Geist und Fleiß in sich geführet immerdar /
 Nunmehr aber ist bey der erwehltten Schaar.

Epigraphæ his notat: *Per-Rev. ac Praclar. Vir M. Heinv. TEUBEL, Na-
 tus A. 1593. Denatus 1653. d. 10. Septem. sub hor. 9. Et. annorum 60. 8.
 mens. 13. dierum, in Officio Scholastico tum Eccles. 34.*

Secunda B. KÜFNERO, est posita, solamque habet cum Symbolo, Au-
 gustini scilicet Verbis: *Inter brachia Salvatoris & vivere volo & mori cupio.*
 Inscriptionem: *M. Jo. KÜFNER / p. t. Curie Narisc. Past. & Sup. natus Pres-
 sati in Palatinatu, 4. Jan. 1606. pictus 18. mortuus vero Curie 14. Febr. 1659.*

Tertia Generum jungit & in Officio Successorem, quem hæc signant
 verba: *JO. VV. ALTHER, SS. Theol. Lic. Pastor & Sup. Cur. Narisc. natus est
 Gaudizi in Misnia, 1. Octob. 1618. pict. 20. Dec. 1659.*

Quarta denique & ultima viventi adhuc per DEI gratiam, & si votis
 nostris res impetretur, per benè multos annos futuros superstiti, Dn. Super-
 intendenti dicata est, quod sequentia innuunt verba: *Der Hoch-Ehrwürdis-
 ge und Hoch-Edelgeborne Herr / JOSEPH FRZ SEERZCH von WAL-
 DER / auf Culmtz und Söbra-stöcken / geborn in Francken 23. Sept. 1641.
 bezog die hiesige Superintendur den 28. Novemb. 1679.*

Sed nec illorum dememinisse nos hîc oportet, qui vel ob
 dignitatem, vel ob alia in Ecclesiam Rempublicamque merita
 Choro intumulati, cippis & Epitaphiis memoriam suam Posteris
 adhuc voluere residuam. Quos inter ut antiquitate, ita ho-
 noris Ecclesiastici etiam Prærogativâ eminent, qui proximè ante
 altare majus sepultus, eleganti, sed oblitteratô ferè lapide sepulchra-
 li tectus est, & ex hac multùm quidem hodie abrasâ, ex Wideman-
 no tamen nostro, ad An. 1495. restituta inscriptione cernendus:
*Anno Domini M CCCC XCV. Sontag nach Egidii, starb der Hochgelahrte
 Doctor, Herr Georg von Gottsfeld / Thumberr zu Augspurg und Pfarree
 sum Hof. Effigiei, habitu Plebani incisæ, arma quoque gentilitia
 ad quatuor angulos lapidis sunt juncta, & ossa sarcophago æneo
 inclusa olim fuerunt deprehensa.*

Proximus huic jacet B. M. Ambrosius HEMMER, cujus mo-
 numento hæc impressa scriptura: *Hier liegt begraben der Ehrwür-
 dige und Wohlgelahrte Herr M. Ambrosius Hemmer / Archi-Diac. und Came-
 rarius, ist in Gott seelig allhier zum Hof verschieden den 2. Dec. 1653. seines
 Alters 53. Jahr 4. Monat im 25sten Jahr seines Predig. Amtes. Prostat*
 in

in medio & Epitaphium quoddā, rhythmis Germanis conceptum cum Insignibus & Uxoris *B. Hemmeri, Annae Barbarae, natæ Stanin, A. 1607, 3 Sept. Neoburgi ad Danubium, nomine, pioque desiderio, quæ cum oculos subterfugere nondum minentur, alibi commodius referenda servavimus.* In altera Capellā itidem non ita procul ab Altari suum consecuta dormitorium *Juditha, Baronis de Dietrichstein* Filia, cujus pleniore titulos cum anno dieque emortuali, incisa lapidi Sepulchrali hæc referunt verba: Hier lieget begraben die weyland Hoch=wolgeborene Fräulin / Fräulin *ZUSZEB* / Fräulin von Dietrichstein / Freyin / des auch weyland Hoch=wolgeborenen Herrn / Herrn *LUDWIGEN* Frey=Herrn von Dietrichstein auf Rabenstein / Erbschenkens / Frey-Herrn in Bärndten Röm. Käys. Majestät *FERDINANDI II.* gewesenen Rathes / Cammer-Präsidentens in Steuer / und Burggrafens zu Clagenfuhr in Bärndten 2c. und Frauen / Frauen *ANNA* / Frauen von Dietrichstein / Gebornen von Moßhäimb Freyin / beyder seeligen / Eheleibliche Tochter / welche zu Hof in Voigtland den 22sten Monats Tag Julij im Jahr *MDCXLVII* in Gott seelig entschlaffen / der verleihe Ihr am jüngsten Tag eine seelige Auferstehung zum ewigen Leben / Amen.


Inter Epitaphia, quæ pariter in Choro adhuc conspicua primum jure tribuimus locū Widemanniano, cujus merita in Urbem historiamque nostram id omnino exigunt. Parieti Chori affixum est septentrionali, progressuris in Sacellum ad dextram obvium, ubi ipse *WIDEMANNUS* cum conjugē depictus, ita ut utriusque in medio illorum pictum, columnæ alligatum flagrisque coesum *JESUM*, respiciant, cui adscriptum: *Ecce homo.* Ut ille fidei suæ confessionem Latinis his expressit: *Fili DEI miserere mei:* Sic ista Germanis haut inferior: *O JESU erbarm dich mein.* Quæ capiti superimposita, infra tabulam tamen, quæ Mariam cum puerulo Jesulo floride pictam exhibet, bina comparent Disticha, hujus sunt tenoris:

- O Mibi tantorum, Justo Mibi, Causa malorum!*
O crucis, ô mortis causa cruenta MIHI.
O homo sat fuerat Tibi me semel ista enlisse,
O cessa culpis me cruciari novis.

Inscriptio, in quam tamen ævum jam sævire incepit, sequentia
habet residua, alibi restituenda:

<i>M. Enoch Vidmannus Nascentur</i>	=	- - - -	<i>Vidmannin ward</i>
<i>A. 1551 die Thome Apostoli</i>	-	-	<i>geborn 1563 den 26 Ma</i>
- - - - 1608.	-	-	- - - -

CWP.

Alarum, quibus Tabula ornata, dextra luctam Christi ad
montem Olivarum, sinistra ejus resurrectionem præsentat. Jun-
gam hic statim verba, quæ lapidi ejus Sepulchrali inscripta, quem
extra Chorum proximè sub suggesto deprehendes, plena ingenuæ
simplicitatis, cui tituli pompaque omnis exosa: Hie haben M.
Enoch Wiedmann/ Schulmeister/ und Judith seine liebe Hauß-
Frau ihre Begräbnuß. Insignia tamen ejus fuerunt addita: Ur-
sus erectus, collari ornatus, hiante rictu & utrisque armis hoc si-
gnum  tenens.

Eodem in pariete, sed propius versus meridiem, aliud extat,
illudque elegans monumentum, in Tabulâ aureis literis scriptum,
& quidem in honorem Georgii LOYSII, cujus simul imago depicta
monumento superimposita. Studiis pariter & Peregrinati-
onibus in tenerâ adhuc juventute multum inclaruit, reliquoque li-
bro: *de præstantissimis Peregrinantium Virtutibus*, cui Titulum fecit:
Peruigilium Mercurii, literato Orbi adhuc notus. Sed de his alibi,
nunc aureum modò Carmen, quod Poëtam nostratem incompa-
rabilem TAUBMANNUM Auctorem habet, & cum in Scriptis ejus
minus compareat, eò lubentius apponimus, ita autem habet:

MEMORIÆ

Georgi LOYSII Secundi, Curia-Varisci: Viri-Juvenis Præstantis.

*Qui transis, hæc pauca legas, sed debita multis,
Hæc, quod gaudebis, quodque dolebis, habes.*

Qui desiderium Patriæque Patrique reliquit

Grande sui, hæc situs est Aede LOYSIADES.

Spargere multa solet nature gratia multis,

Ast hic, quæ multi singula, solus habet.

Forma bonum est? Os hinc & lac & purpura tinxit:

Cui par Heroi corporis augmen erat:

Parque venustati gravitas cerebat. In omnibus

Comis: & urbano candidus ingenio.

Orandum? Eloquii series animosa fluebat:

Aptaque res verbis, verbaque rebus erant.

Multorum mores hominum & cum moribus Urbes

Vidit: & in claris vixit amicitiis.

Musas & Charites Themidosque severa jugabat:

Nec poterat erigâ splendidiore vehi.

Victor erat pietas. Hac & super æthera vectus,

Transit in humano cortice quicquid erat.

Lector abi: Cineresque jube salvere LOTSI.

Scilicet heic Patrie Nobile depositum est.

Obiit D. IX. Maji Hora noct. quasi X. Anno Christiano MDCII.

Taubmannus f.

Conciliabo & huic Monumento lapidem statim sepulchralem, quicohæres
Widemanniano ipsi suggesto propior adhuc, inscriptione se prodit isthac:
An. Christi 1602 den 9. Maji starb der Acherbar und Hochgelahrt Herr Ge-
org LOYS Jun. der Rechte Candidat. seines Alters 27 3/4 dem Gott Gnad!

Ad Thumserianum nunc, quod ex opposito fulget, transibimus, ubi in
Tabulâ Bonus ille pastor deperditam ovem dorso ad gregem referens cer-
nitur & sequentia leguntur: *A. Domini MDLX. Die XVI. Augusti obdormi-
vit in Christo pius & honestus Vir, Johannes THUMSER, Civis & Senator Cu-
riensis. Dicitus annus latet etiam in hoc subscripto Eteosticho:*

Ilstor Iohannes THVMSER pIVs atqVe Senator

naCtenVs hIC VIXIt, nVnC CœLIs VIVet In aLtlS.

Restat in Choro unicum adhuc, post majus altare latens, & literis sub-
dubiis innuens, Joanni MERZEN, Civi & Institori, qui a. 1561. . . Octob.
obiit & Conjugi ejus Margarethe Schwerzin/que A. 1564. 19. Jan. Virum
secuta, fuisse positum.

Ergo nunc Chorô egredimur, & medium lustramus Tem-
plum, quod antiquuum ex supra p. 98. diductis, dixeris, ubi largior
longè Epitaphiorum pariter & Lapidum se offert seges, verum cum
hi posteriores partim tempore pedibusque super illos incedentium
multum sint detriti, partim Subselliis obtekti, dabimus ex iis, quos

po-

poterimus, istorum pariter in tantum memores, in quantum nostræ conduxerit historiæ. Et ab his quidem initium facientes, linquentibus Chorum ab illo latere, quo majori Altari ornatus, mox ad Sinistram sub Organo, Tabula quædam se offert, instar minoris cujusdam aræ, cui alia perpendiculariter incumbit, variis Picturis Biblicis Dictisque ingeniosis, contentum mortis & suspiria alterius Vitæ ingenerantibus, obducta, in cujus calce sequentia leguntur Disticha :

Conjux hic fato dormit CATHARINA JACOBI
SCHLEMMERI, infausto rapta puerperio.

In prolem Studiosa parens custosque pudoris.

Non aliquo ullius labe notata probri.

Unde viro desiderium pergrande reliquit,

Cui semper grato juncta favore fuit.

Ille tamen tantum placida fert mente dolorem,

Omnibus extinctam quod scit abesse malis.

Namque volans inter felices Spiritus Umbras

Letatur summis persfruiturque bonis.

Quod potuit mæstus solvit funebria Conjux

Atque isto texit Conjugis ussa loco.

Utque piè reliquum, quodcumque est, transigat ævum,

Summe tuam supplex Christe precatur opem! Amen.

Quamquam autem ipsius Sepulchrum non compareat, quin tamen hoc ipso tumultata sit loco, illudque subselliis obrutum, aut, quod verifimilius ferè habeo, in ipsâ B. SCHLEMMERO, Scholæ Curianæ sui temporis moderatori fidissimo, qui pariter tabulæ est appictus, propriâ, quam Widemannus, mortem illius ipsius A. 1580. d. 7. Septembris recensens, extra Templum sacello jungit, sit illata, non dubito. Sed progredimur porrò & aliud in pariete meridionali lustramus monumentum, proximè ad scalam, per quam ad Superiora Templi ascendimus. OERTELIANUM autem dici meretur, quod binis hujus nominis, Patri & Filio sit positum, ut sequentes edocent Inscriptiones :

Anno

Anno 1594.

Anno Domini 1591. den XIII Julij, ist der Ehrsame und Wohlweise / Herr
 Michael OERTEL Spital-Meister und des Raths in Christo entschlaffen.
 Anno 1593. den 2. Julij ist sein Sohn MICHAEL / bey 18. Jahren alt / auch in
 GOTT verschieden.

CHRONODISTICHON.

IVnlor OerteLIV's fatoposCente MIChaëL
 oCCVbat, Vt IVLlfaXbls oborta nter.

Sub his legitur:

Meum Ornamentum Christus,
 Mein höchste Zierd ist JESUS CHRIST/
 Der von dem Tod erstanden ist/
 Und hat mir Troben zubereit
 Die Wege Freud und Seeligkeit.

Relicto nunc pariete hoc Meridionali, adversum ipsi tendentem peti-
 mus, ubi in contiguo ferè angulo, ad commemoratum supra Flachianum
 Altare, aliud quoddam *Oerteliana Familia*, tunc temporis apud nos floren-
 tissima, monumentum cernitur, quod A. notatum 1598, non quasi illo ipso
 demum positum, sed quòd à *Davide SCHUBARDO*, ejusq; conjuge (erat hæc
 Magdalena, Andrea OERTELI Filia, primò *Davidis SHUBARDI* & secundò *Jo.*
 FLESSÆI, Diaconi postm, Curienfis Conjux, quæ, quod sine prole viveret,
 in memoriam Patris, *Andrea OERTELI*, matris *Anne HAASIÆ*; Conjugis
 prioris *Davidis SHUBARDI*; suæque ipsius varia pauperibus pia Legata or-
 dinavit, de quibus forte alibi dicendû erit locus, hic in gratæ rei memoriam
 vel digito innuisse ea sufficiat,] sit renovatû, ut hæc testantur verba: *David*
 SCHUBARD und seine Haußfrau haben diß Werklein verneuren lassen.
 Ipla Inscriptio sequentibus concipitur: Am Montag nach *Reminiscere*, wel-
 cher war der 8. *Martii* A. 1563. zwischen 12 und 1. Hora nach Mittag / ist
 in warhafftiger Anrufung und Bekandnûs Christi seeliglichen in GOTT
 entschlaffen der Erbar und Weiße *ANDREAS OERTEL* / Burger und
 des Raths zum Hof / GOTT verleihe Ihm und uns allen eine fröliche Aufere-
 stehung Amen.

Secundum, quod in illo pariete ad valvas pergit minores, præter pictu-
 ram & dicta aliquot Biblica, nudo signatur Anno, 1583, & nomine *WOLF-*
 GANG SCHOEPF. Pleniorẽ autem notitiã ordine suggerit tertium
 Erhardo (aut ut Inscriptio ei prænomen indidit) *Michaeli BUCHGÆ* con-
 jugique ejus positum, his rhythmis Germanicis :

R

3m

Altera Columna Tabula bicobducta

Im Jahr nach unsers **HEARN** Geburt
Als Acht und Sechzig gezelet wurd/
Der wanger Sabt im selben Jahr/
Da der 22ste Tag Maj war/
MICHEL BECHON sein sanfft verschied
In **GOTT** wie Simson in Irtd/
Bekande **CHNIST** um wie seinem Mund/
Dieweil Er noch selbst reden kunde/
Erharrt also ohn alles Leid
Der ewigen Freud und Seeligkeit.

Desgleich am selben Tag zuvor
Als mann zehle 62. Jahr.
Entschleiff **MARCKEIS** sein halber Leib/
Ein fromm Christlich und Erbar Weib/
Hant Blödnitzers gehorsams Kind/
Borsfürchelig/ Steig und gelind/
Befahl an ihrem letzten End
Trentlich Ihr Seel in **Gottes** Hand/
GOTT helff den beyden in sein Reich
Mit Freud zusammen ewiglich/ Amen!

Quod à porta minori primum versus occasum, recentiusq; adhuc, **Leonhardi de CULMBACH** refricat memoriam; Præfecturæ hujus loci Scribæ conjugisque ejus, natæ **POEHLMANNIÆ** & præter picturam, varia dicta Biblica & Symbola, hac dignoscitur Epigraphæ:

EPITAPHIUM.

Des Wohl-Ehrenvesten/ Großachtbarn und wolgelahrten/ Herrn **Leonhardi** von Culmbach / Fürstlich-Brandenb. Amtschreibers der Hauptmannschafft Hof / seiner herzoggeliebten Haußfrau/ Der Wohl-Erdarn viel Ehrn- Tugend samen Frauen / **Margarethæ Rosinæ** / gebornen **POELMANNIÆ** / seel. Söhnen/ Töchtern und Eniglein/ seines Alters 68 Jahr.

Ufgericht den 20. October 1649.

Huic proxima Tabula non tam Epitaphii, quàm Epitaphii meretur nomen, literis fere abrais denunciatis; **Johannem PöHLERUM**, Stanni Fusorem, cum uxore sua **Magdalenâ Egranâ**, Curiam delatum A. 1578.

Quò autem hæc minoris videtur æstimii, tantò certè majori habenda in pretio, quæ picturæ præstantiâ reliquas anteit omnes, **Sebastiani POEHLMANNI**, Consulis Curienfis, Familæque ejus memoria; Sicut hæc in medio Fidelis Dei servi **Mosis** sepulturam, Deo eam ordinante, Angelisque corpus **Mosis** elegantissimè pictum rite collocantibus atque componentibus, Vespillonumq; officio fungentibus. Mares appicti sex, facemellæ novem, omnes in Crucifixum sublatis oculis, subscriptio hæc est;

Insigni pietate & prudentiâ ornatissimo **D. Sebastiano POELMANNO**, in administratione Consulatus XIX. quâ etiam tristissimo obsidionis tempore fungebatur, Anno Æt. 62 Mens. 7. Christi verò 1567. Augusti die 27. pie defuncto, Coniux & liberi mæsti hoc monumentum posuerunt.

Infra hanc scripturam coronidis loco aliæ subnexæ Epigraphæ: A. 1579. den 7. Martii ist in **GOTT** verschieden die Tugend same Frau / **Anna** / Herrn **Sebastian POEHLMANNIS** seel. hinterlassene Wittwe / der **GOTT** genade! A. 1586. den 20. Maj verschiede in **GOTT** **Georg Wolf** / **Sebastian POEHLERS** des jüngern Sohn, dem **GOTT** gnädig sey. A. 1586 den 4. Aug. verschiede

Schiede in Gott Wolfgang Julius / Sebastian POELMANN des jüngern Sohn / dem Gott ein frölich Auferstehung verleihe.

In dextris Tabulæ valvis Triumphus prostat Eliæ in cælos recepti, sub quo Vir honesta canitie gravis, tuente tergum ejus uxore; priorem manifestat hæc Inscriptio: A. 1568 ist der Erbar unnd Wolgeachte Hannß POELMANN als Sebastiani Pöhlmanns Vater in Gott seeliglichen entschlaffen. Ex altero latere Metamorphosis Christi repræsentatur in monte Thabor, inferiusque Viro habitu ferè sacro ejusque Fœminæ verba apposita: A. 1536. Abend Laurentii ist der Erbar und Wolgeacht Erhardt G R O E / Bürger zu Culmbach / als Sebastian Pöhlmanns Schweher allhier zum Hof / seeliglich entschlaffen.

Ultimum denique hujus parietis Gymnasii olim nostri Civis nomen memoriamque aservat sequentibus: A. 1575. am fünfften Tag Maji, zwischen 11. und 12 Uhren zu Mittag / starb der bescheidene Jüngling Urbanus WÖLFFEL / des Ehrwürdigen Herrn Urbani WÖLFFELS Pfarhers zu Türgaszenreut in Stiffte Walterszen Ehlicher Sohn / seines Alters im 17 Jahr / so allhier gestudiret hat. Gott der Allmechtige verleihe ihm eine fröliche Auferstehung durch Jesum Christum. A. 1576.

Evolutis sic Epitaphiis, quot quidem in medio Templo occurrunt omnibus, & ab oblivione his in memoriam positis monumentis vindicatis, saxa excutere ordo nos jubet; sed ô quàm verû hic Poëtæ illud deprehendim9:

Mors etiam Saxis marmoribusque venit!

Alia enim ita sunt detrita, ut inscripta dignosci nequeant; alia sedilibus cessere in peculium, aut planè non, aut corruptè dum leguntur, memoriæ finem deperdidere, pauca dum literas adhuc tuentur suas, ab injuriis pedum operculis præmunita prolixitatem pertœsi, transimus, qualia sunt procedentibus per portam majorem, quæ primum in conspectum veniunt: Jo. METERI, Consulis nostratis, cujus merita in Urbem nostram Inscriptio effusè deo predicat, ob. 1656. d. 10. Jul. et. 54. Friedrichi CAHLENI P. L. C. nati in Langstôdt A. 1613. d. 20. Novemb. Gymnasiorum Hattensis & Curiensis per 24. annos Rectoris meritisimi, den. 27 Dec. 1663 et. 50. Annæ Margarethæ SCHÆFERI: natae Schubar tin d. 27. Dec. 1625. den. puerpere 2. Jul. 1655. M. Val. THUMMICHII, Archi-Diaco ni & Camer Cur. et. 39. sept 25. den. 1638. d. 16. Julij; M. Briccii CRESSII, P. L. C. Gymn. Rectoris, ob. 25. Aug. 1629. et. 55. minus 13. sept. Ambrosii PRÜCKNERI, qui ob. 1563. 18. Aug. et. 41 REBHUNIORUM, que varia sunt, cum primis Jo. REBHUNII, Consilarii Cam. Questoris & per 60. annos ministri Brandenburgici, qui ob. 1595. d. 25. Jan. die Conversionis Pauli. Et. 86, hinc in lapidis medio extat.

Distichon numerale

Christe sacra PAULI fletet CVM bVCCIna Verbl.

Iani RehbVnl splrltVs astra tenet.

VVEISII, Xenodochii Praefecti, qui ob. A. 1612 d. 13. Dec. & in medio Lapidis hoc elogio condecoratus est:

Hic pietas, hic prisca fides, prudentia, Candor.

Hic jaces integra simplicitatis honor.

Pauperis hic verique jaces Patronus & equi.

Et verbo ut dicam plurima: VVEISSIADES.

Tu mecum hoc Lector quicumq; eris ille, dolebis,

Ni tibi praeceptum (an praereptum?) pectus ab invidia est.

Conjugisque ejus Juliana, memorati supra Seb. Pöhlmanni Cons. Filia, quae 6. Sept. h. 10. noct. 1597 maritum praeverat; Christophori GÖRMGL Consulis, qui A. 1579. d. 5. Jan. obiit, cui tamen Aetas elegans in nomen ejus Epigramma servavit:

CHRISTOPHORUS fido confesus pectore CHRISTUM,

CHRISTUS CHRISTOPHORUM tempus in omne beat.

Et hi potiores, iiqve qui inspicere legiqve poterunt, lapides eruant omnes, quibus funebre hoc Templum in medio tanqvā totidem adamantibus corruscat; Quod si enim mors piorum pretiosa in oculis Dei, num nobis memoria piè in Domino demortuorum, de Ecclesia pariter & Rep. optimè meritorum, sit vilior? Mihi certe scribenti, haëtenusqve cum mortuis his versanti, & eorum oculos scrutanti ea fuit maxima, eritq; dum spiritus hos reget artus. Nec solis his tamen cimeliis sepulchretum hoc quis putet nobile; nubem enim Clarissimorum adhuc virorum eidem illatorum ex B. Videmanno adducere possem, si nunc actum agere allubesceret, quod suolubebit tempore. Jam quos limen tenet, oculos retorquentes Insignia adhuc conspiciamus Serenis, Principis CHRISTIANI, March. Br. B. mem. OTTONIS Dn. de Bodenhausen, Capitanei Curienfis, Veteris & novæ Urbis Curie, Nobilium itidem de Feititsch & Lückau, Ulrici Lövvii, Eparchigrammatei, Civium itidem Valentini Graul & Barbare Concordie Graulin, partim in fornicibus quib9 laqvear incūbit, partim in suggesto, partim supra illo fulgentias; nomina etiam in fenestris legimus: Gabrielis Jodizeri, Quaestoris, Ulrici Frissi, Scribe Praefecturae, & Friedrici Glasori, Parochia Curatoris, hisqve benignis Templi hujus statoribus, vel in tumulis devotas decentesq; agimus gratias, quòd suæ magnificentiae & liberalitatis memoriam hic perpetuò extare voluerint. Reliqua Loculorum ornamenta, quæ tota referta Ecclesia, me non moerentur; egredior. In Atrio tamen D. Anna saltim per transitum Susanna Ca-

cha-

ebarine, nate SCHULZII, maritate BRUNNONIA, denetè cum Embryone 14. Jul.
1656. ann. 25. mens. 5. d. 20. & Ulrici Pauli BRUNONIS, nat. 1658. 22. Octob. den. 1650.
17. Martii monumentum, quod in Sinistra Capellâ maritalis & Parentalis A-
mor fieri curavit, & Jo. HAHNII Bernocensis, Diaconi nostratis qui ob. 1591. 17.
Julii, lapidem, in angulo erectum, lustro.

Relicto nunc Templo, Cœmeterio nos sistimus, quod si aream spectes,
capacissimum est; si terræ qualitatem, siccissimum, nullisq; aquarum sca-
turiginibus, ut alia bene multa, male habitum, petreæ ut plurimum funda-
mento nixum; Si muros quibus cinctum, & egregia illis adstructa nitidissi-
misque picturis ornata Familiarum extantiorum sepulchra, firmissimum
pariter & elegantissimum, ut, præfiscine id dixerim, reliqua totius hujus
Marchionatus facile superet. In tres aut quatuor communiter dividitur A-
reas, Mediam den aleen und rechten Kirchhof; Novam den neuen Gottes A-
cker/quæ illa pars est, quam via communis per portam majorem, ad porti-
cum, per quod in Vicum Piscatorum dilabimur, abiens, à priori separat, ad
initium hujus Seculi demum, quâ funeribus tot capiundis vetus non suffi-
ceret, cœmeta & reliquæ superaddita; partem post Ecclesiam, hinter den
Kirchen/& Locum denique Peccatorum, der Armen Sûnder Kirchhof; qui
ipsius quidem Cœmeterii muris non conclusus, porta tñ. per illum aditur,
illisque adservatur, qui publicas justitiæ experti manus sepulturâ haud in-
digni habeantur; quamquam ut nulla Regula sine exceptione, hoc quoque
nostro seculo nobiles tres Viri, quorum alibi fiet mentio, ab hac lege fuerint
excepti, & intra muros, ad ipsam dictam portam sint sepulti. Primo Dor-
mitorium hoc muris omni ex parte cinctum non invenio. Anno a. 1575.
urgente cum primis B. & de Ecclesiâ nostrâ optimè merito Dn. Superinten-
dente *Pancratio*, latus versus Parochiam veterem, novo muro cinctum, il-
ludque magis magisque dilatatum, S. *Elisabethæ* capella, quæ ex adverso
Portæ majoris ipsius Templi constiterat, & post Papatum in Osuariam con-
versa fuerat, penitus remota. Ex eo ipso procul dubio est, quod ad coeuntes
in ista angulo muros, infinitam ossium copiam in terram defossam testen-
tur Sandapilarii, quæ procul dubio Osuariâ hac sublata hic reposita fue-
runt. Via quoque publica, quæ tunc temporis cœmeterium transibat, extra
illud dirigi incepta est, ne Christianorum tumuli canibus, suis & aliis de-
honestarentur bestiis, quod omne *Videmannus* ad dictum refert Annum. Ab
hoc tempore & post latius expansi cœmeterii hujus fines, muri quatuor
portis pervii, si quando ruinam passi, itentidem sunt restructi, & superiori de-
mum anno Pars eorum occidentalis fuit renovata. De numero sacro huic

Dormitorio illatorum, nihil addo, neque illos etiam lapides, Cruces, Cippos & Epitaphia numero, quibus undique refertissimum; quis enim Stellarum numerum inire auderet? Annorum tamen aliquot saltem de mortuis ex fastis subscribere consultum duxi Ecclesiasticis, ubi obiisse deprehenduntur A. 1680. 120. A. 81. 135. A. 82. 161. A. 83. 126. A. 84. 116. A. 85. 151. A. 86. 176. A. 87. 126. & ita integro hoc octennio 1111. homines.

De Regimine Ecclesiastico, Sacris itidem & Inspectione hujus Templi quaedam afferenda essent, sed notius hic quam quod notissimum, *Serenissimum nostrum PRINCIPEM, Summum in Ecclesiis nostris Episcopum*, tum per manus *Illustris Consistorii*; tum in specie *Superintendentis* hujus loci; Patronique hujus Templi, *Amplissimi Senatus*, ea obire, hodieque res ita composita, ut quoad Sacra singulis Dominicis ac Festis per ordinarium Concionatorem, matutinam concione plebi prospiciatur, reditus in ærarium D. *Michaëlis*, olim *Laurentii Filix*, hodie *Matris*, ut ita hic verum sit: *Filia devoravit Matrem*, deferantur; Sumtus autem sustinendis quoque ædificiis inde erogentur, sicque omnia decenter fiant & ordine. Conserve Deus florentissimum hoc Templum diraque ignis & ruinae, quæ toties expertum fata, clementissimè ab illo avertat. Fiat!

Sed qui de monumentis, in Domino mortuorum honori erectis, fideliter hætenus plura attulimus, vivis Templum obsecramus minime; Et illi cum primis perennaturæ gloriæ honorisque Templo, quod Serenissimus CHRISTIANUS ERNESTUS, *Princeps ac Nutricius noster Clementissimus* incomparabilibus suis sibi struxit virtutibus, humillimi devotissimique pectoris monumentum nunc est inferendum, die cum primis ejus Natali, quo vota ei sacrare. precibus Deum cælo salutem ejus deducere, omni que gratæ mentis cultu ei ubique asurgere fas est. Sumserunt sibi itaque hoc pietatis debitæque industriæ munus septem *Gymnasia nostri Cives ingenui, ut optimo flore Ætatis, sic Parentum Studiorumque spei feliciter admoti*, qui ad dictum XXVII Julii ab ipsa Concione matutina Cathedram *Peroratores* nostræ majoris conscendent, quamque totius Principatus hujus nomine probandam suscipere devotionem, hoc ordine, promptam memoriâ exsolvent:

Primus

HEINRICUS SCHMIDT, *Lichtenbergæ Variscus*. Prologumaget, iusta intinabit & probabit gaudia *Commilitonumque* quoque exponet consilium, quo nomine totius Principatus, quinque Urbes ejus inducent primarias, singulas ex domesticis sibi documentis, singulas SERENISSIMI deprædicaturas laudes, vota que ex eisdem nuncupantes solennia.

Hinc

JOHAN-

JOHANNES PORST, Oberkozavio-Variscus, **BARUTHUM** Gistet, almam **SERENISSIMI** Genetricem, **PIETATEM** ejus in Deum pariter ac in seipsam votiva mente commendaturam.

Tertius

JOHANNES FRIEDERICUS FROSCHIUS, Döhlau-Variscus, **CULMBACI** Castrique ejus Nobilissimi **BLASSENBURGI** provocabit testimonia, quam domi forisque incomparabilem Princeps Optimus exhibeat fortitudinem suos defendendo & muniendo, hostes contra avertendo & prosternendo. Quam Serenissimæ Domui propriam virtutem gratulabitur perpetuam.

JOHANNES ADAMUS TREISCHL Curientis, **CURIAE** non tantum, sed integro Marchionatui tribuet, Principis sui curis veram & genuinam illum esse **CURIAM**, h. e. locum, in quo Justitia floreat, vitia aut exulent, aut severe advertantur. Suis ergo ut precibus curas has nobis proeuret quam diutissimè, curabit.

Quintus

JOHANNES VOBLKELIUS, Schwarzenbacensis, Stipend. Brandenb. bona terræ nostræ Sedilia, **VVONSIDELIÆ** ostendet nomine, dotes ejus pandet, quas omnes tamen ex Principalis Clementiæ ac Munificentiæ deducet fonte, qui ut perenni vena scateat, in votis habebit.

Sextus

DAVID-FRIEDERICUS HOFMANN, Neostadiensis Francus, **NEOSTADIO** & ex Inferiori Principatus Tractu Argumenta accersit, quibus industriam Serenissimi collaudet, qua hætenus in meliorandis avitis Possessionibus, Urbibus exornandis, Provinciæque castris & nova nunc Urbe Erlangensi ditandâ fuit occupatus, utque felicissimè hæc succedant, porro, Deum venerabitur.

Ultimus denique

JOHANNES CHRISTOPHORUS JODIZERUS, Arzbergensis, Carmine Germanico Epilogum supperaddet reliquam Principalium virtutum coronam coronidis loco subnexurus, Votaque distinctius integræ Serenissimæ Domui, grates verò Auditorio appositurus.

Exiguus hic equidem Cultus, tantique Principis meritis multum est impar, pondus tamen eò ipsi addetur gravius, quò frequentius compauerit Auditorium; vi votorum, unitâ, eòque fortiori, nobiscum acturum. Quocirca **SERENISSIMI PRINCIPIS AC NUTRICII NOSTRI CLEMENTISSIMI**, Supremum Consiliorum Præsidentem, Consiliarium Intimum, Exarchumque Provinciale Urbis nostræ Gravisimum, Illustrissimum Comitem ac Dominum, **DN. JO. ALBERTUM**, S. R. I. Comitem de **RONOV & Bieberstein**, Dominum in **Oppurg, Knau, Grobiz & Grünau &c.** Dominum nostrum multum Graciosissimum, & qui sub instantis gaudii nostri solennis tempus evicinâ sede suâ **Hersberg** in hanc nostram delatus Urbem, Illustrissimum Comitem ac Dominum, **DN. HEINRICUM**, Junioris lineæ Ruthenicæ


VIII

VIII, Comitum ac Dominum de Plauen, Dominum in Graiz, Chranichfeld,
 Gera, Schlaiz & Lobenstein, &c. Dominum nostrum pariter gratiosissimum;
 Præterea Illustrissimum Comitum ac Dominum, DN. JO. ER-
 NESTUM S. R. I. Comitum de & in Tettenpach &c. Lib. Baronem
 de Gannowiz, Dominum in Gailsdorf, Trübel & Birck, &c. Dominum
 nostrum quoq; Graciosissimum; Nec non Maxumè Reverendum ac
 Pra-Nobilissimum Dominum, JOSEPHUM FRIEDERICUM
 à WALDECK, hujus ac Vicinarum Ecclesiarum Pastorem Primarium
 ac Superintendentem Vigilantissimum, Gymnasia Ephorum meritisimum, cum
 Reverendo Pl. Ministerio; Nobiliss. Excellentiss. Urbis Physicum Ordinarium,
 Adjunctum, Medicos; Amplissimos, Consultiss. Dnm. Officiales, Prudentissi-
 mum Spectatissimumque Senatum, Gymnasia Patronum ac Scholarchas; Con-
 junctissimos Dominos Collegas, Studiososque Humanissimos & quosvis
 literarum Fautores, debita compellamus devotione ac observan-
 tiâ, ut præsentiam suam Dicturis gratiosè commodent. Ne illo-
 rum deterreantur multitudine, quadrantis enim horulæ spatium
 nullus eorum dicendo excedet, & illius velificamur honori, cui
 omnes nostras horas, quid horas? ipsas dies; quid dies? inte-
 gram post Deum, debemus vitam. Probabunt insuper hoc i-
 pso suam DEO pietatem, SERENISSIMO Devotionem, Mu-
 sus affectum, quæ, quantum in viribus suis situm, gratas se
 vicissim exhibebunt. P. P. Festo Jacobi

ANNO

clō lbc Lxxxviii,





TE

SE
NAT

LAU.

A,

que
PATRIS
QVINTO,
anegyrim,

um

LAYRIZ.

